



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exhortationes|| Ad|| Religiosos

Dirckinck, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1704

Reg. 9.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51834](#)

Si f.
sientia
4. ver-
volu-
eniam
dilig-
nos in
Rex
or no-
gislis-
Glo-
ces &
mnia,
non li-
anum
iqua-
is spe-
m bo-
r? il-
te pol-
ni, i
no ob-
nator,
quie-
i: ab-
ritua-
more,
diligi-
te re-
do, &
fina-
ans ac
viva-
nium
ben-
modo
spiri-
& do-
2. Be-
dicatio-

nedictionibus spiritualibus omnibus cognati vestri benedictione cœlesti re-
& centuplo in temporalibus ditabimini. 3. Nomen vestrum in cœlesti gloria magnificabitur. 4. Complexisone de-
orum variorum, & camulo gratiarum locupletabimini. 5. Amici quoque &

copiosè participa-
bunt.

REGULA IX. SUMMARI.

DE MANIFESTATIONE DEFECTUUM.

EXHORTATIO.

IN REGULAM IX. SUMMARI.

Ostendit utilitates ex defectuum manifestatione promanantes.

THEMA.

Ne reverearis proximum tuum in easu suo, nec retineas verbum in tempore salutis. Eccli. 4.

VEL:

Contentus esse quisque debet, ut defectus ipsius Superioribus manifestentur. Reg. 8.

Gratia Instituti nostri Societatis filios non absimiles reddit quatuor animalibus, à Propheta Ezechiele. Deo revelante, consperatis cap. 1. *Similitudo vultus eorum erat facies hominis & facies leonis, à dextris eorum quatuor; & facies bovis à sinistris eorum quatuor; & facies aquile desuper eorum quatuor. Et totum corpus oculus ple-*

num in circuitu. An non omnia illa in nobis operatur gratia Instituti nostri? Ita sanè: illa enim efficit nos habere faciem hominis, virtute ac perfectione prædicti, & faciem leonis, Leonibus infernalibus terribilis, idque à dextris, id est in virtute Dei, à qua omne robur nostrum. A sinistris efficit nos habere faciem bovis, se totum per mortificationem Deo in sacrificium immolantis, idque à sinistris, ut ad sinistram partem trahentia, mortificantur. Denique faciem aquilæ desuper, ad puritatem &

Gg

claris

Pockinch
XVI

claritatem solis iustitiae respicientis: Et corpus totum oculi plenum in circuitu, nos habere facit; quorquot enim in societate degunt, oculos in se mutuo aperitos gerunt, ut defectus, quos notarint, Superiori aperiunt; quòd is pro paterna follicitudine suā medelam adhibeat.

Quantæ verò utilitates ex hac defectuum manifestatione enascantur, in præsenti declarabimus.

I.
Utilitas
manife-
statio-
nis defec-
tuum est
Profectus
in spiritu.

I. Utilitatem primam ex defectuum insinuatione scaturientem, indicat S. Fundator in regula, dum ait: Ad maiorem in spiritu profectum, contentus esse quisque debet, ut defectus eius Superiori manifestentur. Unum membrum virtus laborans, facile inicit alterum, nisi cura adhibeatur: cogitemus, ait R. P. Claudio Aquaviva in epist. de perfect. & Charitate. ex nobis universi corpus unum coagentari, tamque esse membrorum inter se consenserunt, ut unicuique pertimescendum sit, suo ne virtus, in reliquum omne corpus aliquid redundet periculi. Pari ratione pertimescendum nobis est, ne ex Fratribus virtus damnum periculum in corpus redundet, nisi manifestetur & corrigatur. Si ergo, ut inquit Apostolus, pro invicem sollicita sunt membra, ut si pedi vulnus inflictum sit, mox oculi inspiciant, manus palpent, caput & corpus se inclinet, os & lingua chiturgum acciri jubeant: Et nos corporis mystici membra invicem curam gerere decet, ne ex unius membris infectio ne, reliquum corpus laceratur. Hac de causa requiritur totum corpus plenum oculū in circuitu, ad emendationem, ad profectum in spiritu, ad Fratribus, totiusque Communicatis emolumenter.

Major in spiritu ac virtute profectus haud dubie nascitur ex defectuum & mendatione, & minor in spiritu Profectus, ex defectuum negligencia & dissimulatione oritur: quis autem non perspicit, si defectus Superiori aperiat, nos longè melius juvari, faciliter curari? quomodo enim Superioris subditio entendebit, quod ignorat: Exemplum habemus in filiis, qui non nunquam vulnera, aut defectu occato laborant, cumque vel ex metu, vel ex pudore Parenti aperire negligunt: & quanta hinc non raro pericula phantur? Potest enim accidere, ut vulnus neglectum gangrenam contrahat, eaque contracta, laevius pedis amputandi periculum præsens incurat: cum è contrario, vulnus initio detersum, mediis exhibitus, nullo negotio cunctum coauisset. Ita pariter in vniuersibus, morbisve spiritualibus, ex revelationis defectu, ingentia nonnunquam detractione enascuntur: neque enim Medicus curat, quod ignorat.

Deinde ad maiorem in spiritu profectum, mirifice conducta hæc defectuum manifestatio; quia Superior subditos potest à relapsi præservare, pericula imminentia amputare, occasions labores præcavere: est enim non duntaxat Ammarum medicus, sed etiam Navarchus & Gubernator, in hac periculosa, ad aeternitatis felicis portum, navigatione, cui subditus anima sua cymbam tuat committit. Jam verò si Navarchus, omnia secura censeat, præfenta Scopulorum, Voraginum, vadorum pericula nesciat; quis non cernit, qua in discrimina navicula ejusmodi præcipitetur? Gob.

bernator navem strenue progrederi autumat, & suas illa latentes partur remoras & echeneides, qua detineant, cursumque sufflaminent: Gubernator carinam integrum, & illafam esse non ambigit, & varia illa fissuras & rima agit; per quas aqua sensim perfluit, & navem tandem in profundum demergat.

Atque ob hanc eximiam utilitatem, virtutisque profectum, Sacri Doctores, & Ordinum Fundatores, manifestationem illâ tam sedulò commendarunt. S. Basil in reg. fisius disp. interrog. 46. ait. Quidquid est autem in quo peccetur, id referri ad Anteitem debet; sive ab eo qui peccatum admisit, sive ab iis, qui conficiunt, si illud ipsi curare non possunt, & mederi eo modo, quo præceptum est à Domino, quando vitium dissimilatum, morbus est in animo oblitescens & suppeditis, qui etiam propterea incurabilis efficitur. Quemadmodum igitur nullo modo de nobis bene meritum illum diceremus, qui pestifera corpori nostro includeret, sed eum potius qui cum cruciatu, quod noxiun est, expelleret, atq; è corpore extundaret. Ita pariter &c. Confessio Balilio D. Augustinus, in Regula sic loquens: Nec vos judicetis esse malevolos, quando hoc indicatis, magis quippe innocentes non estis, si fratres vestros, quos indicando corrigerete potestis, tacendo perire permittitis: si enim frater tuus vulnus habet in corpore, quod vellit occultare, dum timeret fecari, nonne crudeliter à te fieretur, & misericorditer indicare? Quantò potius ergo debet mani-

festari, ne deserius putrefaciat in corde? & tu vulnus fratris contemnis; tu eum perire vides, & negligis: peior es tacendo, quam ille committendo. Humbertus etiam super Regulam ejusdem Augustini citat c. 99. S. Gregorii dicentem: Qui proximi mala conspicunt, & silentio premunt, quasi conpectis vulneribus, nūm medicinis subtrahunt. & è mortis autores sunt, quod vulnus, quod curare poterunt, nolunt. In Constitutionibus S. Dominici sic cavetur dist. 1. c. 17. n. 5. Ne autem virtus occultentur, Prælato suo quilibet denuntiet, quod viderit, vel audierit. Et rufus c. 18. Si quis autem tale quid extra monasterium commiserit, frater qui cum eo est, studeat ejus excessum Prælato quantocuyus corrigendum intimare. In constitutionibus etiam Minorum, approbatis tempore S. Bonaventura sic editatur c. 7. §. 4. Teneantur Fratres per obedientiam exeentes, in redditu suo secrete Guardiano excessus notabiles intimare. Additurentiam, si per confessionem, & alia viâ defectum rescribat, non esse contra sigillum, etiam tunc defectum Superiori manifestare, doctrinam verò oppositam, non sanam sed pestiferam esse, qua cedere potest in detrimentum Ordinis, & præjudicium disciplinae regularis. Id que sententiâ rotius Capituli Generalis definitum.

Quare, hoc accurate servemus, ut defectus Fratris, si vel ipsi, vel communione, vel externis noxiis, & vel maximè, si sint scandalosi, quantocuyus Superiori pro correctione de-

Gg 2 tega-

Pekinger
Manifestatione
XVI

tegamus. Nemo dicat: *Nunquid custos fratris mei sum ego.* Gen. 4. Haec vox pessimi Cain est, vox homicida est: *Unnicique enim mandavit Dominus de proximo suo.* & Vx bis qui in viam Cain abierrunt. Defectus ob occultationem non correcti, sapius totam communicatem insicium, veluti ex una ova morbida gressus totus destruitur: vel saltet perfectum in Spiritu retardant.

II.
Secunda
utrius
est, prof
etus inhu
militate,

*Alteram manifestationis defectum utilitatem S. Ignatius hisce verbis in Regula exprimit: Prae puc ad maiorem submissionem & humilitatem propriam; ad quam defectum nostrorum apud Superiorem manifestatio plurimum conducit; ut demissione gradus consideranti liquet. Primus humilitatis gradus sui cognitio, statuit: an non ad hanc juvat, defectum manifestatio, & Superioris correctio, dum sapienter: ad defectus proprios cœci sumus vel amore proprio ducti, eisdem excusamus? Secundus gradus est fuga laudis ac honoris: an non ad hanc quoque confert errorum & delictorum denudatione que sane laudem non parum immunit? Tertius gradus est: desiderium contemptus: quid magis contemptum promovet, quam vitorum & a nobis perperam actorum declaratio, ob quam à Superiore, tanquam procul à perfectione distantes, defectibusque obnoxii monemur; & quandoque publicè non absque confusione reprehendimur? Quartus gradus est: defectus proprios animo libenti detegere, nec, si detegantur ab aliis, indignè ferre: *Humilitatis filia est sui accusatio.* ait S. Dorotheus Doctrina 2. An non hujus gradus occa-*

sionem & ansam exercitiū præber fieri apud Superiorem tanquam Partem delatio? Quintus gradus est intentionem in confusionebus, in accusationibus, in delationibus, in reprehensionibus & increpationibus. *Humilitas, aqua confusione, satis bene est in pace, quia sit in Deo, & non in mundo,* ait Thomas Kempensis L. 2. c. 3. An non ad hoc nescium adjuvat Regula, in delatione quemque contentum esse jubens? Si nimirum contentus fuerit, silentium servabit, querelas & obmurmurationes regiet, & in pace tranquilla subfille. Verisimum igitur esse certum, dictum manifestacionem, ad submissiōnem humilitatemque non parum conferre; ac proinde animo pacato, avolenti acceptandam exemplo S. Gregorii M. de semetipso asseverans: *ab omnibus corrigi, ab omnibus emendari pratus sum, & solum mibi amicum est, per cuius linguam, ante disticti judicis partitionem, mea maculas mentis uogo.*

III. Accedit & nova ratio, atque utilitas Religiosos Societatis praetangens: cum enim horum sit, civili loca peragrange, & habitare in omnibus mundi plagiis, inter fideles & infideles, inter orthodoxos & heterodoxos, ad procurandum auxilium animarum; in non à Superiore mittendi, necessaria documentis & consiliis sunt præsumendi? Quomodo autem præsuminent, si is non fuerint perspecti, si eorum defectus absconditi? An non inde nali poterit, ut variis defectibus obnoxii, procul ab oculis Superiorum, & quidem nonnunquam soli, mittantur &

cum cuiusvis sexū & conditionis hominibus conversari jubeantur, ut in extremitate salutis discrimen manifestum adducantur? Deinde an non ipsa Societas infamia notam incurret, si partum nos, perspectusque in missionum pericula conjiciat? Quò igitur Superioris, ita necessitati missionum consulant, ut corpori Socieratis, nec honoris nec famæ detrimentum pariant, necesse est, mittendos probè cognoscere, eorum propensiones, passiones, vitia & defectus non ignorare, ne in pericula dicta devolvantur. Ad hoc verò defecuum & errorum manifestatio, communis adfert maximum. Ex quibus rufum eluet, quantæ utilitatis, imò & necessitatis in Societate sit ejusmodi defectio erratorum, ne vel personæ, vel ipsa Societas detrimentum patiatur.

Paret quoque delatores non odio habendos, sed tanquam amicos ac benefactores colendos; rectè enim asserit S. Augustinus: *Plus amat obiurgator sanans, quam adulator dissimilans.* Et rursus: *Non unius qui parcit amicus eis;* nec omnis qui reverberat inimicus: *quia qui phreneticum habet, & lethargicum exercitat, ambobus mortis, ambos amat:* at quamdiu sunt egredi iniquantur, sed ambo sanati gratulantur. Hinc quoque rectè colliger, quicquid amore proximi, delicta manifestat, menum cuiusdam offendit, ab hoc charitatis officio non resiliendum. Fā constantia & mente excelsa fuit S. Petrus Damiani, ut omni carnis sensu, voce mundi, & amore proprio contemptis, quodvis subire maluerit, quam hoc charitatis munere non perfungi: ait

enim c. 25. Gomorchanus: Malo quippe cum Joseph, qui accusavit Fratres apud Patrem criminè pessimo, in cisternam innocens projici, quam cum Heli, qui filiorum mala vidit, & tacuit, divini furoris ultione multatari: cùm enim per os Prophetæ divina vox terribiliter comminetur dicens: Si videris fratrem tuum iniquè agentem, & non corruperis eum, sanguinem eius de manu requirebam. Quis ego sum, qui in sacro Ordine videam tam pestilens facinus inolescere, & velut homicida alienæ animæ, servatâ censurâ silentii, divinæ dictiōnis audeam ratiocinium exspectare? & illius reatus fieri incipiam debitor, cuius nequaquam Author extiterat? cum Scriptura dicat: maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine? Gladium autem à sanguine prohibere, est correctionis verbum, à carnalī vi- tæ percussione compescere.

Verum oggerit nonnemo: Christus in Evangelio Matth. 18. jubet: *Si peccaverit in te Frater tuus, corripe illum inter te & illum:* Non autem præcipit indicandum Superiori: an non igitur hoc esset correctionis ordinem, contra Evangelium, invertere? Sed palam est, hoc Christi Domini dictum in variis non obligare. Et quidem 1. Quando peccatum fratris est publicum. 2. Quando correptione privata non sufficit ad emendationem. 3. Quando correctio à Prælato, efficacius facienda existimatur. 4. Cum delictum in aliorum, aut etiam totius communis detimentum cedit. 5. Cum quis ingrediens Religionem, ut pote Dominus famæ suæ, ejus dominium in Religionem transfert, & quoad

Gg 3 ordi-

PECKINGE
Manifestatione
XVI

ordinem correptionis Evangelicæ, iuri famæ cedit: prout omnes in Societate solent: dum se ad regularum obseruantiam paratos, contentosque profitentur; quas inter & hæc clare proponitur.

Neque istos, leves esse defectus tuos, adeoque manifestatione minimè opus esse. Non aliterimus, levissima quæque semper ad Superioros deferenda, prudenter dictabit, quid factò opus. Leves enim defectus, præsertim in consuetudinem deducti, ac crebro repetiti, magnopere obesse queunt, & origines esse delictorum majorum. Deinde parva scintilla magnum sèpe excitavit incendium.

Quapropter, Charissimi, quandoquidem detectuum nostrorum apud Superiorum, ex Charitate facta manifestatio, tanta nobis commoda parit. Tunc in Spiritu, ac virtute promoveamur, tum ut in submissione & humilitate conservemur: tum etiam ut noti perspicue Superioribus, in missionibus difficultibus, periculis æternæ salutis, aut decoris Societatis, optimæ Matris nostra non exponamus: animo libenti nostrorum erratorum delationem toleremus; hæc enim viâ, vulnera nostra, à peritâ Superioris, tanquam Chirurgi

manu sanabuntur; & à subsecutis lapibus, velut à Gubernatore præservabimur. Deinde in demissione animi persistabimus, quando errores nostros & nos ipsi & Superiores perspiciemus. Nigritus Manifestatores, oculis tortuiscit, nec eos, inimicis, sed amicis annumeremus, non detinente nostra sed commoda & emolumenta Spiritu unicè querentibus. Nec nos in Lethago excitantes, aut in phrenes ligantes & constringentes odio, verbisque contumeliosis infectemur; sed grates respondamus, & benevolentiam exhibemus: maculas nostras tergentibus, vulnera curantibus, misericordiam exhibentibus. Sicut enim crudelis est, qui vulnus in corpore fratru celat, crudelior noi qui vulnus peccati in anima. Fratris non indicat, sic et contrario culpas detegentibus, ut ait Hugo Victorinus in Regulam S. Augustini, Merces ab omnipotenti Debetur qui dixit, Beati misericordes, quoniam ipsi misericordiam Dei consequentur. Et Jacobus ait: Qui converti fecerit peccatores ab errore via sua, salvabit animam suam à morte, & operiet multitudinem peccatorum.



REGU.